

D E S C R I P T I O R U G I Æ.

Ætians Swanto Vitum in pugna contra hostes Rugianorum in illo equitasse. Modus colendi eum hic erat: Idoli sacerdos inspiciebat cornu, quod ante annum liquore impleverat, idque habitu oris sui presso, ne illo idolum attingeret. Inspeculo poculo de futuro anni proventu divinabat. Si poculi liquor majore ex parte in vapores abiisset, caritatem annonæ: si plenum, vilitatem significare credebatur. Post hæc liquorem coram idolo effundebat, & idem rursus novo liquore repletum dexteræ idoli imponebat. Quibus peractis reliquum diei comessando & bibendo transigebant. Erat idolum hoc in urbe Arcona Wittoviæ, cujus maxima tum temporis fuit reverentia. Atque hæc quidem sæda idololatria ante annos 460 penitus in Rugia extincta est. Arcona fuit Rugiæ munitissima urbs, sita in promontorio peninsulæ Wittoviæ, natura loci valida, à Septentrione quippe cingebatur mari, ab altera parte, qua Insulam respicit, editissimi montis densissimo vallo circumdata fuit, cujus vestigia etiamnum exstant certissima & conspicua. Vallum tantæ altitudinis fuit, ut etiam sagitta à validissimo arcu emissa ad ejus cacumen minime pertingere potuerit. Fuit & alia urbs valida *Charentina*, in quas se bellis Danorum presfi recipere solebant. Et quamvis bellis valde attrita essent, nondum tamen prorsus fuerunt diruta. Verum illas postmodum vicini Principes Pomeraniæ funditus deleverunt. Hodie oppida quædam frequentiora habet, inter quæ *Berga* præcipuum, ubi tamen vix ultra 400 cives reperias. Reliqua, ut sunt *Sagart*, *Vick*, *Bingst*, & plura alia minoris sunt momenti. Viris insula ipsa abundat, adeo ut 7000 armatorum ad bellum possit educere. In peninsula *Iasmunda*, qua Orientem spectat, promontorium est stupendæ altitudinis, quod infra excavatum marinis prædonibus ac piratis receptaculum præbuit longe tutissimum ac munitissimum, quod etiamnum vocant, *de Stubbenkamer*. Non procul inde conspiciuntur rudera prisca arcis, cujus eminens vallum hodie vocant *Burchwal*. Huic proxime adjacet Lacus niger, profundus, qui licet piscosissimus sit, suspicio tamen est, aut potius superstitio, quod retia aut schaphas piscatorias non ferat, aut admittat: cui cum animosiores quidam piscatores scapham pridie intulissent, postero die retibus lacum tentaturi, non invenerunt. Ligna incolis suppeditat insula *Iasmunda*, ubi sylva densissima, quam indigenæ appellant *de Stubbenitz*, quasi dicas truncarum arborum congeriem. Ecclesiasticorum plerorumque lautior hic quam alibi

conditio, qui non solum sua arva & agros habent, sed etiam decimas pecorum ac frumentorum. Nobilium hic antiquitatem generis jactantium magnus numerus, nec rusticorum hic sors intolerabilis, qui Magistratui suo annum censum solvunt, & certa servitia præstant. Principes Rugiæ prisca hi fuere,

*Witzlaus I*, Princeps Rugiæ tempore Ottonis I, Imper. A. C. 938, ethnicus & idololatra. *Principes Rugiæ.*

*Grimus* Princeps Rugiæ.

*Cruco* vel *Crito* Princeps Rugiæ & Regulus Obotritorum, circa A. C. 1100, qui novæ Lubecæ fundamenta jecit, tyrannidem cum exerceret homo gentilis, interfectus est ab Henrico regulo Obotritorum, filio Gotshalci, per ministrum, fraude uxoris, quæ fuit Schlavina, filia Suantibori I principis Pomeraniæ.

*Raze* Princeps Rugiæ, qui Lubecam evertit, mortuus A. C. 1141.

*Teslaus* Rugiæ Princeps Ericum VI, & Suenonem III Daniæ reges irritavit, tandem à Waldemaro I victus.

*Iarimarus I*, Princeps Rugiæ Teslai frater, primus fidem Christianam & baptismum suscepit, confirmatus à Waldemaro I, rege Daniæ.

*Barmita* vel Barmites Iarimari filius, princeps Rugiæ, mortuus A. C. 1241. uxor Bolelava à Gutzkau, filia Witzlai.

*Witzlaus II* Barmitæ frater, Princeps Rugiæ, fundator cœnobii Campen. Obiit 1247.

*Iarimarus II*, Witzlai fil. Princeps Rugiæ & hostis Danorum, quorum jûgum excussit A. C. 1259. Obiit A. C. 1282.

*Witzlaus III*, Iarimari II filius, Princeps Rugiæ, promotor fidei Christianæ in Livonia. Obiit in Norvegia A. C. 1303.

*Witzlaus V*, Princeps Rugiæ ultimus in hac familia. Urbem Sundensem contumacem vicinorum regum ac principum auxilio obsidione cinxit, sed ab oppidanis interfectus fuit VIII Novembris.

Atque his defunctis sine prole, Sundenses post diuturna ducum Pomeraniæ & vicinorum principum Megapolensium ac Herulorum de continentis Rugiæ ditionibus, Barthenfi, Tribulensi, Grimmeni, &c. bella, tandem Pomeraniæ Ducibus se, salvis privilegiis & immunitatibus, adjunxerunt, & Wartislao IV homagium præstiterunt.

Hodie bellis Cæsarem inter & Suecum misere attrita est, primum Cæsari cessit, jam eam cum copiis militaribus tenent Sueci, uti & maritima Pomeraniæ loca.

*Vrbes vestigata.*

*Oppida hodierna. Berga.*